

## PARS TERTIA.

### MORALIS.

Antequam graves quæstiones hujus tertiæ partis aggrediamur, notandum volumus moralem mere humanam, etiam recta ratione informatam, in plerisque insufficientem esse. Circa multas quæstiones magni momenti dubitat et cætit; in aliis, motiva quæ subministrat aciem plurimorum superant, vel leviter afficiunt. Religio christiana mirabile lumen effudit, recta principia stabilivit, nova motiva et gravissimam sanctionem attulit; sicque illuminans hominem, ejus voluntati ad malum inclinatæ, supernaturalis gratiæ contulit auxilium, quo ad finem suum assequendum fit idoneus.

Alia quoque religio christiana superaddidit officia, quæ non minus ediscere et implere necessarium est ac legis naturalis præcepta. De posterioribus tamen hic solum agemus et plerumque ex ratione, ut mos est in institutionibus philosophicis. Sic enim utilissime exercentur juniores alumni qui, officiorum naturalium rationes intrinsecas intelligentes, aptiores fiunt ad confutandos pseudophilosophos ex ratione tantum procedentes.

MORALIS, quæ etiam dicitur *Ethica*, a verbo græco ἠθικῶς, idem significante ac *mores*, habet pro objecto actus humanos ad bonum dirigendos. Nemo non videt quanti sit momenti; philosophia enim vocatur amor sapientiæ; sed in actibus præsertim relucere debet philosophorum sapientia. Regulas igitur, quibus informandi sunt actus humani, diligentissime scrutentur et ediscant juniores alumni, ut ab eis in agendo nunquam discere satagant.

Moralis definitur: Scientia practica actus humanos ad honestatem dirigens. 1° Dicitur *scientia*, quia ex princi-

piis aliquas deducit conclusiones, v. g. ex illo principio: *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*, colligit non esse furandum, maledicendum, occidendum, etc. 2° Dicitur *practica*, quia in mera objecti sui contemplatione non sistit, sed tradit regulas ad mores dirigendos. 3° Dicitur *actus humanos ad honestatem dirigens*: hæc verba objectum hujus scientiæ ejusque differentiam a logica constituunt.

*Actus humani* ii dicuntur qui fiunt a nobis humano modo agentibus, id est, cum advertentia intellectus et deliberatione voluntatis. Actus vero qui fiunt citra cognitionem intellectus aut voluntatis arbitrium dicuntur *actus hominis*. De hujusmodi actibus indeliberatis philosophia non tractat, sed de solis actibus humanis.

Plurima hic notanda sunt.

1° Duplex existit ordo in mundo, *physicus*, scilicet, et *moralis*; prior spectat corpora, et posterior respicit intelligentias.

2° Ordo in genere est series relationum inter varia entia, vel inter partes ejusdem entis compositi, v. g., inter partes corpus organicum constituentes.

3° Deus mundum creando, singulis entibus speciales fines assignavit, ea inter se, per individua, species et genera concatenavit, et omnia ad finem communem, simplicissimum et unicum, nempe gloriam suam, destinavit, ita ut nihil extra hunc ordinem existat, nec existere possit.

4° Entia libertate destituta ordinem a Creatore sibi assignatum necessario sequuntur; aut si quædam in eis perturbationes accidant, hoc ipsis velut causis tribui non potest. Nec laude igitur, nec vituperio digna esse possunt.

5° Contra vero entia libera actuum suorum dominium habent; ex propria electione ordinem sibi præscriptum servant, vel ab illo recedunt. Hinc primum actuum humanorum principium.

Duplici modo considerari possunt actus humani, scilicet, in genere et in specie: præsentem igitur philosophiæ partem in duas dissertationes partiemur.